

erunt tamen feroces & ignorabuntur. Si autem utraque fortunæ .i. Iupiter & Venus ei similes extiterit, & utraque infortunæ in occidentis angulo, fortunæ uero in orientis angulo manserint, licet ferocissimas, curabiles tamen generabunt egritudines. At si Iupiter fuerit ille qui ei assimilabitur, infirmitates medicaminibus curabuntur, siue per dietas siue per antidota. Quod si Venus ei similis fuerit, prophetis uel diuino auxilio repellent egritudines. Quod si in orientali angulo infortunæ & in occidentali fortunæ fuerit, erunt egritudines incurabiles ac feroces, minusque manifestæ, infirmitates epilepsie semper cum clamore & timore mortis durabunt. Insani uero sensuque carentes nullatenus retineri poterunt, & suos consanguineos impediunt atque turpia dicent, & his similia. demoniaci eorum etiam infirmitates & humiditatis superabundantiam, quæ capitibus nocet entusime semus, & detecta nimis ac saltus impetuosa in homines faciens eos percutiet, & his similia. Quædam uero locorum in quibus illa qualitas fuerit proprio iuuamine quandoque iuuabunt. Loca namque Solis & Martis proprie iuuant ut sit insania. Loca uero Iouis & Mercurii epilepsie iuuant infirmitates. Veneris autem locus per prophetias, & ut occulta dicantur adiuuant. Saturni autem lunæque loca demoniacos & humorum iuuant impedimenta. ¶ Plurimæ igitur species infirmitatum in agente parte animæ contingenti sunt hæc quas prædiximus, quæ secundum naturam suam generaliter per huiusmodi qualitates adueniunt. Differentiæ uero quæ proprie in parte recipiente dispositionem accidunt, in augmento ac diminutione rerum naturalium masculinis & foemini- nis apparebunt, ad quarum pronosticationem illa uia quæ prædictæ uiae assimilantur, perueniemus. Postquam Luna Solem quemadmodum ibi cum Luna Mercurium posuerimus, & Veneris ac Martis ad ipsos similitudinem obseruauerimus. Post horum igitur explanationem ostendemus, quod si sola luminaria in signis masculinis fuerint, ea quæ sibi naturalia sunt homines nimis exercebunt. ¶ Mulieres autem quæ sibi contra naturam sunt nimis operabuntur, & quæ sibi naturalia sunt in uires & masculinitatem animæ conuertentur. Item si Mars & Venus uel eorum alter masculinus fuerit, in naturalibus rebus Veneris ualde conuersabuntur homines & nimis circa uitium illud sollicitabuntur. Ex rebus etiam coitus turpia quæ contra legem fuerint, festinanter facere desiderabunt. Mulieres autem innaturalis actus cupidinis plus equo perpetrabunt, & erunt thahaherat, eo quod ad inuicem in agendo commiscebuntur. Si Venus autem sola masculina fuerit id quod inde perpetrabunt erit occultum & ignorabitur. Sed si Mars masculinus extiterit, ita erit illud manifestum quod quandoque mulieres quæ cum eis conuersabuntur quasi sibi proprias uxores fore demonstrabunt. ¶ Quod si eadem stellæ in prædicti contrarium fuerint .i. ut sola luminaria cum prædictis qualitatibus in signis foemininis extiterint, mulieres ea quæ sibi naturalia sunt operabuntur. ¶ Viri autem ea quæ sibi sunt contra naturam committent & cum mollitie ac foeminitate anima naturalia transgredientur. ¶ Item si sola Venus foeminina fuerit, illegitimos actus Veneris mulieres nimis adimplebunt, frequentius tamen ad naturalia declinabunt & cum quolibet, adeo quod nulli coitum denegabunt, seu de formis seu contra legem